



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Approbatio Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Fr. Ambrosii Capello,
Episcopi Antverpiensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

AD LECTOREM PRÆFATIO
A P P R O B A T I O

Illustrissimi ac Reverendissimi Domini
FR. AMBROSII CAPELLO,
EPISCOPI ANTVERPIENSIS:

AD ingenii iudicii que commendationem nihil esse potest illustrius, quam aut res præclare gerere, aut sapienter aliquid ornatèque scribere. Primum qui faciat, ei suus ex merito tribuendus est honor: qui utrumque, ne illum quidem potest unquam eruditionis & prudentiæ fama deserere, quam propagabunt æterna & in omnium manibus futura monumenta. Celebrabuntur utroque nomine hi septem Illustrissimi Viri, quorum poëtica lucubrationes communi plausu lucem nunc vident. Cum in occupatissimâ Urbe Summis Pontificibus, & Sacro Cardinalium Collegio suam in rebus gravissimis operam navaverint, aliisque in illâ terrarum luce honoribus usi fuerint, mirum est scribi ab iis aliquid potuisse. Sed illud commemorabile Catonis dictum penitus imbibebant: CLARORUM VIRORUM ATQUE MAGNORUM NON MINUS OTII, QUAM NEGOTII RATIONEM EXSTARE OPORTERE. Nam & hora una

** 3 totius

totius vite portio est, quam prodigere detrimento sit. Nunc igitur quoddam veluti theatrum, nunc secessum subiverunt; sed ex hoc in majus theatrum prodituri: nunc à seriis ad lusus animum avocaverunt; sed ad lusus non minoris operæ & laudis, quàm seria. Et habebant exemplum, quo id facerent, Optimos Maximosque non sacrorum tantum, sed etiam literarum Principes, quorum Musas, ut in divinis fieri solet, silentio veneror. His autem Illustrissimis Viris, quorum ingeniis recentibusque libellis nunc delector & pascor, absens assurgo, & quam sibi agendo scribendoque gloriam pepererunt, gratulor. Hoc meum quaecumque acroama confirmare chirographo meo volui.

FR. AMBROSIUS
Episc. Antverp.

A P.